Christi et Machometi, cum iste sit filius Dei, ille vero primogenitus diabolii; ille Dominus incarnatus, iste diabolus incarnatus; iste pater salvandorum, ille seductor miserorum; ille instruxit, iste destruxit; ille salvavit, iste damnavit; ille redemit, iste peremit. Et tamen Christi templum execratur, profanatur et despicitur; et Machometi templum ornatur, decoratur et extollitur.

Sed quid mirum, si hoc fiat in Jerusalem apud Grossonios, Mauros et Sarracenos, cum etiam fiat apud Christianos catholicos. Respice, quaeso, cum compassione ecclesiam supremam totius mundi, Lateranensem, quae est caput omnium ecclesiarum urbis et orbis, sicut probat Alvarus in suo de planctu ecclesiae lib. 2. ar. 2. c., quod et vide. Qualis decor, quae ejus munditia! Utinam saltem servaretur a ruina. Ibi enim ecclesia Salvatoris et nostra sancta sanctorum cum incomparabili thesauro reliquiarum, et tamen videtur locus quasi derelictus et desolatus, et vix reperiuntur ibi paramenta pro Missae sacrificio. Atria ejus sordent, capellae annexae sunt violatae, altaria profanata, palatia destructa, et religiosi, qui quondam Deo ibi serviverunt, sunt a loco repulsi et alii subrogati, cum quibus cuncta ad ruinam tendunt, et plura jam ceciderunt, non per incursum Turcorum aut Sarracenorum, sed per non-occursum Christianorum. Sic eccelesia S. Petri stat sub defectu magno eorum, quae tantae ecclesiae convenirent. Si ergo res sic se habent in principalioribus mundi ecclesiis, in capitalibus catholicorum, in medio fidelium, quid autem potest esse in aliis ecclesiis in corpore? Ecclesiarum immunditia, abusio et deordinatio in structuris, in vasis, libris, vestibus, palliis, in atriis, coemeteriis, in aedibus. Turpe profecto est cogitare, et dicere verecundum. Reperitur etiam ecclesia, et utinam una et non plures, in qua altare, pallae, et sacristiae mappae, et corporale, et involucrum calicis, albae et humerale, tanta sordent immunditia, quod sacerdos illius ecclesiae ea non possit propter abominationem in sua mensa sustinere, imo non pateretur femorale suum tanto squalore sordescere. Foedantur albae, sudore squalet humerale, et omnia paramenta usque ad putrefactionem immunditiis plena sunt, quas nemo in suo habitaculo sustineret.

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;